

9+10/82

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 37



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in aedi-  
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:  
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	öS 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--
In terris trans maria sitis	U\$ 12.--

Singula specimina qui  
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:  
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	öS 120.--
übriges Europa	Fr. 18.--
Uebersee	U\$ 12.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Cari legentes,

Paucis diebus ante accepi epistulam a nostro socio Prof. Florindo Di Monaco ex oppido Italico nomine San Prisco scriptam. Cuius nuntium vobis, cari amici Rumoris Varii, libenter transferam. Nuntiat enim Florindus litteris illis:

"...Cum magis magisque in studia Latinarum litterarum incumbam libentissime, mihi placet Te certiozem facere me exeunte anno MCMLXXXI magna laude honestatum esse in XXIV Certamine Vaticano praesentique anno nomisma aureum meruisse in Certamine, quod Academia Vergiliana, Mantuae constituta, sollemniter indixit ut celebraretur bis millesimus annus ab obitu summi vatis Latinitatis; nuperrime autem laude quoque decoratus sum in certamine Catulliano, quod singulis annis Veronae celebratur.

Nunc spero Te benigne accepturum esse duo carmina mea modo perfecta; prius inscribitur "Nox hauaiana" et paucis versibus celebrare vult amoenissima mirificaque loca in Oceano Pacifico sita (i.e. Insulae Hauaianae = Hawaii); alterum carmen, cui nomen "Amantes" dicatum est omnibus amantibus, sollempnia quorum in Italia celebrantur postridie Idus Februarias, i.e. dies festus Sancti Valentini.

Precor ut Tibi valde placeat experimenta mea edere in proximis Rumoris Varii exemplaribus. Omnia simul faustissima accipe ut semper libellus Tuus augeatur abundeque floreat iterum iterumque..."

Ad haec "Gratias, care Florinde" respondeo et "gratulamur Tibi cuncti socii Rumorem Varium edentes et ego, cui hac praefatione praeconem laudum Tuarum esse licet! Libenter Tua carmina praesenti futurisque libellis edemus, etiamsi - imprimis tironibus linguam Latinam discentibus - fortasse non semper facilia cantu sint propter formam metricam in scholis

Helveticis minus saepe instructam."

In hoc libello, cari legentes, inuenietis non solum Florindi carmen, quod "Nox hauaiana" inscribitur, sed etiam alias ratas partes forma poetica vel prosaica Latine composita lectuque dignissima! Si vos ipsi opera Latine composita habetis, quae, ut Rumore Vario publicentur, digna censeatis: Mittite nobis publicanda! Nam noster libellus vivit, ut scitis, e varietate ratarum partium, quas legentes nobis mittunt. Valet!

*U. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann



## *Litterae ad legentes*

### Correctio mendi typographici

In numero 7+8/82 (pag. 80) libelli nostri mendum typographicum inrepsit in litteras ad legentes quas Amicus scripsit ad antierius mendum corrigendum.

"Myosotis" in lingua Itala "Nontiscordardime" neque vero "Nondiscordardimé" est.

Errare humanum est sed perseverare diabolicum!

Plinius Prioreshi

## **NOX HAUAIANA**

Metrum asclepiadeum

Pálmae flént viduaé. Sólius ést maré.  
Fúndit Líbra sonúm. Sírius órchiúm  
détergét lacrimás. Áequoris ábditás  
spéluncás violánt ratés.

Pálmae súnť tremulaé. Flábra lavánt maré.  
Lónge lúna viró péctine fúlgidó  
blánditúr placidé caésariém levé  
ós nudáns liquidá manú.

Pálmae stánt tacitáé. Sídera pér maré  
dúcunt clára chorós. Incipit ád modós  
Órión variás fúndere neniás.  
Málvae flámmea pórrigunt.

Pálmae súnť nitidáé. Éridanús maré  
út nervós citharaé véllicat úvidae.  
Cónspérgunt tenebraé lítora néctaré.  
Órant álba curáliá.

Florindo Di Monaco

---

Libra (v.2), Sirius (2), Orion (11), Eridanus (13):  
nomina sunt siderum hemisphaerii australis.

## DE SOCRATE PHILOSOPHO

tertia et ultima pars: SOCRATIS ORATIO APUD IUDICES POST DAMNATIONEM

Socrates iam capite damnatus apud iudices illam praeclaram orationem habuit, qua, cur mortem non timeret, explicavit et negavit mortem aliquid mali esse.

Primum iudicibus, qui eum damnaverant, talia fere dixit: "Nunc vobis, qui me damnavistis, futura vaticinari velim, quia eo loco versor, quo homines vaticinari solent: ad mortis portas. Vobis, homines, qui me necavistis, praedico non multum tempus post exitum meum vos poenam multo graviores assecuturos quam illam, qua me capitis damnantes affecistis. Nunc enim me mortuo de vita non iam vobis rationem reddendam esse putatis. Sed aliud vobis eventurum esse opinor, quod plures quam nunc erunt, qui rationem reposcant a vobis. Quos adhuc retinebam, ut non in eos animadvertissetis; et cum minores sint natu, eo magis molesti vobis erunt atque eo magis de eis indignabimini. In errore enim versamini, si putatis homines criticos supplicio afficientes vos impedituros, quominus aliquis malam vitam vobis exprobret. Talis remotio criticorum civium neque perfici potest neque nobilis est, sed sola haec pulcherrima facillimaque: ne quis alios prohibeat, sed se ipsum instruat hoc modo, ut quam optimus sit. - Ea vobis, qui contra me suffragium tulistis (suffragium ferre = stimmen), praedicens discedo."

Deinde Socrates eos iudices, qui eum suffragiis adiuverant, his vocibus consolatus est:

"Hoc modo consideremus, iudices - vos iure "iudices" nominamini - . quantopere credere possimus mortem aliquid boni esse. Est enim mors aut nihil sic, ut mortuis nullius rei sensus supersint, aut - ut ferunt - animae transportatio et migratio ex hoc mundo in alium locum.

Si omnes sensus mors auferat similis ei sopori, qui ne somniis quidem turbatam quietem nobis affert, commodum (Gewinn) mirabile sit. Si quis enim illam noctem, qua tam alte dormivit, ut ne somnium quidem ei videretur, eligat et aliis suae vitae noctibus diebusque comparet et exanimet cernatque, quantas noctes diesque melius et iucundius peregerit quam illam unam noctem, non modo quemvis hominem, sed etiam Persarum regem tales dies noctesque celeriter enumeratos esse pro reliquis iudicaturum esse puto. Si talis est mortis natura, commodum aestimo, quod omnis aetas futura non longior videtur una nocte.

Sin ea vera sunt, quae dicuntur, mortem quasi migrationem ex hoc mundo esse in alium locum, quem omnes incolunt, qui e vita excesserunt, quid beatius sit eo, iudices? Si quis ad inferos (quem locum Graeci Hades nominant) perveniet et, liberatus ab istis hominibus, qui hic iudices putantur, veros iudices inveniet, quos ibi iudicare ferunt: Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum et alios heroes, qui iusti erant, "dum vita manebat" (ut dixit Vergilius): Nonne talis transportatio pulcherrima sit? Quanti nonnulli vestrum aestiment, si cum Orpheo, Musaio, Hesiodo vel Homero convenire eis liceat! Equidem saepe mori vellem, si ea vera sint. Mira mihi sit commoratio ibi, si Palamedem et Aiacem inveniam vel alios veterum, qui iniusto iudicio interfecti sunt. Si mihi liceat fatum meum eorum fato comparare, id non sine quodam gaudio faciam. Summae autem voluptati mihi sit homines ibi eodem modo examinare et percontari, quo hic quaeritabam, quis sapiens esset et quis sapientem se ipsum ducens re vera non esset.

Quanti aestimem, si mihi contingat percontari eum, qui magnum exercitum Troiam duxit (Agamemnon) vel Ulixem vel Sisyphum vel alios viros feminasque! Cum eis colloqui et vitam agere eosque examinare mihi summae beatitudini sit. Certe ibi talia agentem non supplicio afficient. Homines ibi funditus beatiores sunt quam hic praetereaque omnem futuram aetatem immortales, si ea, quae dicuntur, vera sunt.

Sed tempus est iam hinc abire, mihi, ut moriar, vobis, ut vivatis. Utrum autem sit melius, nemo scit nisi dei immortales."

Illae Socratis considerationes nostra quoque aetate memoria dignae mihi videntur, imprimis eae cogitationes, quibus proponit omnes homines post mortem in aliquem locum conventuros. Multis nostrum magno gaudio esse puto, si eis contingat ibi cum praeclaris omnium saeculorum hominibus congregari, seu musicis vel poetis, seu philosophis, seu gentium rerumque publicarum gubernatoribus, seu aliis illustribus hominibus. Quanti aestiment musicam amantes, si eis liceat Ludovicum van Beethoven vel J. Sebastianum Bach vel W. Amadeum Mozart vel alios rebus musicis peritissimos, qui operibus summa arte compositis animas hominum delectant, convenire; quanti philologi aestiment, si cum Platone, Euripide, Sophocle, Catullo, Vergilio, Horatio vel aliis veterum colloqui, si ex Homero quaerere, num ipse Iliadem et Odysseam composuerit, si Lucretium interrogare, num verum sit se potione amatoria (Liebestrank) vesaniae incidisse, si Ovidium percontari, quibus de causis vere in exilium missus sit, si philosophos, qui ante Socratem vixerunt (e.g. Thales, Anaximander, Anaxagoras, Parmenides, Empedocles, Democritus, Pythagoras), precari, ut nonnulla de operibus suis nobis non tradidit narrent, si a Socrate ipso quaeritari eis contingat.

Forsitan pulchrius sit, si omnes quoque inveniamus, qui in hoc mundo nobiscum vitam agebant, maxime eos, qui cari nobis erant, quos amabamus. Quos reperiendi spes nobis consolatori sit, si credere possimus amicos morte nobis ereptos non in perpetuum interisse, sed hoc factum iri, quod Seneca philosophus in illa epistula exposuit, qua Lucilium, ne plus aequo (allzu übermässig) doleat amico amisso, monet eumque consolari conatur: "Cogitemus ergo, Lucili carissime, cito nos eo perventuros, quo illum (amicum defunctum) pervenisse maeremus; et fortasse, si modo vera sapientium fama est recipitque nos locus aliquis, quem putamus perisse praemissus est." (Ad Lucilium ep. 63,16).

Omnium saeculorum homines variis fabulis animo fingebant et fingunt, quid post mortem sibi eventurum sit. Alii putant unum in locum homines conventuros et ibi in perpetua vitam beatam agere vel eadem gesturos, quae in hoc mundo egerunt; alii animas in umbrarum regnum perventuros et certo tempore peracto novis corporibus iterum in terram reversuras; alii angelos et diabolium esse hominesque partim in caelum ascensuros partim ad infera (Hölle) descensuros; alii resurrectionem mortuorum fore; alii nihil post mortem fore. Plerique iudices iustissimos de rebus gestis uniuscuiusque iudicatuos et poenas vel praemia tributuros putant.

Certae autem scientiae rerum, quae post mortem eveniant, hominibus non datae sunt. Itaque suae quisque religionis doctrinae credat; ne alienas despiciat neve suam religionem solam veram ducat.

Daniel Weissmann



\*\*\*\*\*

VERBUM FALSO INTELLECTVM

In urbe Buenos Aires, quod est caput civitatis Argentinarum, nuper quidam viator Europaeus linguae Hispanorum imperitus ab aliquo incola verbis "Buenos Dias!" salutatus "nullas emam," respondit "nam hanc urbem pulcherrimam instrumento meo photographico photographare malim."

Udalricus Aeschlimann

\*\*\*\*\*

# Duundecim

(Der Zwölf-Elf)

(composuit Christianus Stella Matutina (Christian Morgenstern), vertit Martinus Meier)

Duundecim laevam tollit  
et media tunc nox init.

Obstupens stagnum auscultat  
et saltucanis eiulat.

Botaurus somno exsurgit,  
e musco rana expicit.

Audit et limax in domo  
et mus patatae ideo.

Lux ipsa errans ramo stat,  
quem ventus olim fregerat.

Sophiae puellae somnium:  
lunovi fit supplicium.

Suspensos ventus agitat,  
in vico infans lacrimat.

Talpae infigunt oscula  
tunc sibi nuptialia.

At silvam intra intimam  
lemur manum globat quidam,

quod viatorem noctuum  
non vorat palus nec stagnum.

Et Ralphus corvus clamat: "Cra!  
Finita sunt terrestria!"

Duundecim manum movet  
et mundus dormiens silet.

Duundecim : der Zwölf-Elf  
saltucanis, -is m. : der Schluchtenhund  
Botaurus, -i m. : die Rohrdommel  
limax, -acis f. : die Schnecke  
mus patatae : die Kartoffelmaus  
lux errans : das Irrlicht  
lunovis, -is f. : das Mondscharf  
talpa, -ae f. : der Maulwurf  
lemur, -uris m. : Gespenst, hier: Nachtmahr



# Aenigma

formā quadrati magici:

1. de caelo cadit (Abl. Sg.)
2. mons, in quo Iupiter educatus est (Acc. Sg.)
3. poetae
4. mercaris


1	2	3	4
2			
3			
4			

Hoc quadratum magicum finxit Daniel Weissmann.




S O L V T I O N E S

aenigmatis, quod vobis in libello 7+8/82 proposuimus, hic demonstrantur:



1	S	E	R	E	N	O
2	E	L	A	B	O	R
3	R	A	P	I	D	A
4	E	B	I	B	I	T
5	N	O	D	I	N	O
6	O	R	A	T	O	R



Scintilla spei

Cremonae, cum superior aestas arva iam dealbaret, mense Iulio, Gregoriani cantus periti multis e gentibus quisque suae artis alendae gratia frequentes coierunt. At, pro dolor, pauciores meminisse videbantur, cuius linguae melos adeo carum natura consors fuisset! Quocirca cum scholae tum sacra praeter carminum modulamina variis sermonibus vernaculis sunt peracta.

Unus autem vir quasi necopinato nobis apparuit, qui Latinitatis causam nulla specie praebita strenue sustineret. Tunc ille rei phonologicae doctor insignis, Adolphus Ruediger nomine, Germanus natione, cum vix idioma quod Italicum dicitur teneret, choros Latine dirigere fortiter constituit. Nunquam certe fusior est locutus, verum festivus ludebat et facetus, quo facilius auditores discerent. Ita gestu simul gravis et argutus, in iocando iugiter elegans ac lepidus, voces nostras ad efformandum sonum suavem suavissime erudivit. "Nunc", inquit, "parva sit pausa; respirate; mementote semper: facies, non fauces faciunt vocem... Lenique risu, non lugubri rictu canendumst." Quod auditu fuerit forsitan incredibile, sed quam delectabile! Paene tandem cum iusserat: "Cantate nunc omnes!" prae gaudio colla-crimavi. Nihilotamensetius e vestigio praesentium maximam movit admirationem sibi eorum studium conciliavit ardentissimum. Nec vero maturius exeunte septimana praecepta siluerunt, quin ille coram ceteris collegis ovaret: imprimis enim iuniores discipuli tanto magistro multiplici plausu familiarem decreverunt triumphum.

Postea Scripturae verba sum recordatus: (iusti) tamquam scintillae in arundineto discurrent (Sap. 3,7b) Utinam nobis sint illa documento! Quod etsi nefaria fortuna languida Latinitas apud populum friguisset censetur, unus interdum sufficit patronus, cui sit animus antiquus, (Liv. 22,25,10) ut inflammatis pectoribus reperiatur statim Roma rediviva.

Bruno Wildhaber, monachus Cisterciensis



TRAGOEDIA  
BENITI MUSSOLINI

Scipsit : Plinius Prioreschi  
In Latinum converterunt : Ernestus Brehm  
Thomas Coffey  
Plinius Prioreschi  
Copyright by P. Prioreschi 1978

ACTUS II

Scaena I. Conclave cum magna fenestra domi Beniti Mussolini Romae. Domina Rachele acubus texens et filia Edda (uxor Galeatii Ciano) sedent in sellis. Domina Rachele modeste vestita plane humili genere nata, Edda elegans et urbana. Ancilla cafeam ministrat.

Domina Rachele (Cafea ministrata): Gratias Annetta, nunc abire potes. (Exit ancilla).

Edda : Spero te bonam cafeam offerre.

Domina Rachele: Bonam cafeam? Nonne patrem tuum cognoscis? Sumus fortasse sola Italiae familia quae mercatu nigro non utitur.....paene. Ille non intellegit nos omnes fame perituros solum demensa nostra edentes. Tamen cavere necesse est.... si inveniatur me paulum verae cafeae huic potioni nigrae miscuisse, furet.

Edda : Deo gratias, Galeatius non tam severus est! Non dico, non rogat. Dicere nolo, scire non vult.... itaque omnia fere blanda... famuli ubi vetita invenire sciunt....

Domina Rachele: Nunc domi raro edit.... nonnumquam tam in cogitatione defixus ut quod edit nesciat.. mala tempora currunt... quid dicunt Germani?

Edda: : Galeatius dicit legatum Germaniae compertum habere res secundas iterum fore.

Domina Rachele: Vos fatui... Nonne intellegitis bellum perditum esse? Americae interventione periimus.

Edda : Japonia autem...

Domina Rachele: Noli fatua esse! Nemo Americam vincit. Misselli Japonii sedulo pugnabunt... sed sicut nos evenient... fracto capite. Pergo dicere patri tuo ut agat nunc ad servandum servanda.... sed etiamnunc somniat... omnes somniatores estis... etiamnunc victoriam somniat...

Edda : Suasi Galeatium ut in Helvetiam aliquam pecuniam mitteret... spero te errare... sed nunquam futura noscenda...

Domina Rachele: Non erro, non erro. Contra Americam proeliari dementia est.... recordor bello mundiali primo illos nobis omnia genera ciborum missime; farinam, pernas... nunc hostes sunt... cibus magis magisque rarescit et populus moleste ferre incipit... ut scis ego met aliquando ad emendum exeo....

Edda: : Ita scio,, id bonum esse non puto et periculosum.

Domina Rachele: Gerrae! Veteribus vestimentis indutam nemo me agnoscit. Praeterea semper duo satellites, modo civili induti, qui me observant adsunt. Semper eos confestim noto. Spero eos callidiores esse criminosos sequentes... quidquid id est, audio sententias, audio quod vulgus de hoc bello sentit... sunt defessi, Edda, fidem amiserunt....



Edda : Dum vincebamus gaudebant. Parati ad Fascismum et Ducem plaudendum. Nunc ubi necesse est detrimenta sustinere et non solum de eis loqui... nunc non victoriam sed pacem clamitant.

Domina Rachele: Fortasse sic omnes sumus... paulullo. De eo angor et crucior. Vulgus incipit eum odisse, quid eveniet si bellum perdemus?

Edda : Ei plauserunt et ei faverunt per viginti annos, quid putas venturum? In deterioribus... in deterioribus officium deponere debet.

Domina Rachele: Non curo si officium deponere debet... cruciata sum ab eius adeptione officii... si solum de abdicatione ageretur non curarem...

Edda : Quid aliud? Galeatius putat, bello pergente tam male quam nunc... fortasse nos a Germanis soluturos et pacem separatam petituros.

Domina Rachele: Miselli Germani! Eos anno millesimo nongentesimo quarto decimo prodidimus et nunc ad idem faciendum parati sumus.

Edda : De prodicione non agitur...

Domina Rachele: Haec miseranda Italia videtur nihil recte facere posse, ne fidelis esse in socios quidem. Nec tamen de hoc sed de patre tuo curo... vulgus eum odisse incipit, fortasse memor patrum, fratrum coniugumque morientium... cibus rarescit... fervores facile obliviscuntur. Scilicet etiam veteres inimici eius iterum caput erigunt. Hitler inimicos suos suppressit sed pater tuus semper magnanimus fuit... eum propter hoc poenam luere compellent.

Edda : Certa sum antequam res nimis longe procedant... volo dicere, si pergimus perdere, ut nunc perdimus, debituros pacem rogare... Galeatius dicit Americanos intellegere finem Fascismi exordium Communismi in Italia futurum esse.

Domina Rachele: Exspectasne illos sustenturos Fascistas in officiis? Pater tuus non vellet... non posset...credo eum non posse Fascismo supervivere.

Edda : Alius poterit officium suscipere.

Domina Rachele: Quis?

Edda : Fortasse Galeatius...

Domina Rachele: Puto vos omnes amentes esse! Putatis res faciles fore, omnia bene itura... ego... timeo, Edda, timeo ne res malae adveniant.

Edda : Certa sum patrem ac Galeatium solutionem inventuros.

Domina Rachele: (Quae evidenter a proposito egredi vult) Quomodo Galeatius se habet? Eum iam diu non vidi.

Edda : Bene se habet, gratias Deo. Occupatus est et plenus fervoris ac notionum.

Domina Rachele: Putas res melius processuras si is officium habeat, nonne?

Edda : (haesitans) Haud ita... sed puto patrem magis debere ad eum animum attendere. Praeclarus et nunc peritus est... nunc famam obtinuit.

Domina Rachele: Mihi placeret si pater tuus abdicaret... Vellem longe ire... in villa vivere...

Edda : ....Ille praestat inter alios, nationes orbis eum in honore ac observantia habent, et puto consilia eius digna considerationis esse... praeclarus est, hos scis et pater etiam.....

(Sirena extra scaenam auditur.)

Domina Rachele: Iterum veniunt. Serius ocius nos bombardabunt.

Edda : Solum transvolant. Romam bombis non percutent. Papa hic vivit et praeterea nemo auderet Romam bombardare.

Domina Rachele: Si putas Americanos se refrenaturos propter paucos antiquos lapides...

Edda : Nihilominus... periclitari basilicam Sancti Petri nonnullis bombis percutere non possunt...

(introit famulus)

Famulus : Mihi indulgeas, Domina, attamen gnara es severi iussi ut omnes refugium ineamus inter incursiones aereas....

Domina Rachele: Vere. (surgens) Puto melius ire... (Exeunt. Exstinguuntur luces ac post pausam fragor bombardum auditur. Per fenestras fulgores apparitionem illustrant Iuli Caesaris incursionem aeream in Romam tacite spectantis. Paululo post Caesar evanescit et Arlequinus circulum luminosum init.)

Arlequinus : (Vehementer gesticulans, commotissimus) Romam bombis percutunt! Matrem verberant! Criminosi! Dementes! Barbari! Urbem Eternam verberantes! Stupratur maiestas Romae ab his barbaris ex ultra mare. Ven-


iunt ex suis ridiculis urbibus ad gloriosas ruinas vastandas civilitatis millenariae unde descendunt, degeneres in barbariem relapsi... Dies veniet ubi Novum Eboracum atque Chicagiam bombardabimus... eos delebimus! Exercitus noster gloriosus illo die per Quinta Via magnifice incedet sub tronante plausu multitudinis acclamantis. (Circa commotissimus saltat) Eos sub calce contudemus, sub iugum eos conducemus in servitudinem! Servi! Vere! Servi! Nostri servi erunt! (Fremitus bombardum variante violentia auditur). Sunt nunc dives - praepotentes... aviatores eorum impune Romam bombis percutere possunt....fortasse vincere possunt... re vera vincere videntur!

(Arlequinus moram ut cogitans facit, deinde quietam voce ut meditans)

Tamen si vincunt, fortasse per totum tempus recte rem tenebant. Si, mehercle, repente putaremus victorem rem recte non tenere, quid contingeret? Mundus turbatus esset. Re vera "finis modos excusat" est solum rudis, inscitus, vulgaris modus dicendi "finis omnia excusat". De prudentia ac logice agitur. Si ita non esset, nos omnes in mare contentionum disputationumque summergeremur. Quomodo inveniremus quis recte et qui male rem teneat? Perpetue disputandum esset. Praeterea, quomodo victor victum vexaret sine metu iniustitiae? Hos delectationem corrumperet. (Explosiones persistunt). Quando vincebamus alia res erat sed nunc...bombardare incipimus, sed nunc bombardamur. Copiam cibi habent et nos inopiam...opificia sua magna celeritate generant et nostra diruta sunt.

Quomodo animo concepimus contra eos pugnare? Putare nos victuros esse stultum erat. Nonnulli ferventes...fanatici id possibile esse putabant...vere stulti erant... etiam criminosi...debilis qui potentem superare conatur, nisi victor, criminosus est, omnes hoc sciunt...pacem nunc volumus...(vocem augens) nunquam pugnare contra generosos Americanos et Anglos et Francogallicos et Russos volumus...pacem nunc volumus et semper volumus...(clamitans) Pax! Pax! Pax! (Bomba cadere pergunt)

SIPARIUM



## Facete lepideque dicta

Turici in oppido Helvetiae in deversorio quodam Arnvaldus Hirculus (Helvetice: Arnold Böcklin), 1827-1901, pictor ille Helveticus illustrissimus, atque Godofredus Cellarius (Helvetice: Gottfried Keller), 1819-1890, poeta ille Helveticus praestantissimus, commercium semper taciturnum habuerant. Semel Arnvaldus Hirculus nepotem secum duxit, qui taciturne se taciturno commercio accomodavit, sed semel procedente vespere "Hem, hem!" tussivit. Paulo autem post Godofredus Cellarius Arnvaldo Hirculo amico dixit haec: "Hominem illum loquacissimum ne tecum ducas iterum!"



"Quid de mulieribus existimas?" - "Quidquid de illis postremo dicere in mente habeas, sunt utique optimum, quod in illa specie inveniri potest!"



Petitio. Medicus ille morborum internorum peritissimus Theodorus Fridericus Erericus (Germanice: Theodor Friedrich Frerichs), 1819-1885, professor celeberrimus Universitatis Bero-linensis, aetate iam proventus ancillam res domesticas dispensantem uxorem duxit. In matrimonium petivit illam verbis his: "Visne viduam meam esse coepisse?"



"Confestim ante Deum stabis!" dixit sacerdos breviter ante (capitis) supplicium interfectori. Tum ille: "Quidnam, inquit, ita penitus sine capite?"



"Potesne mihi dicere casum, ubi causa venit post effectum?"

"Nullo modo exemplum dare possum!"

"Si medicus post arcam patientis graditur (ingreditur)!"



#### QUOT ANNI?

Ferdinandus Gregorovius, 1821-1891, auctor ille illustrissimus operis sub titulo "Historia urbis Romae aetate media" (Germanice: Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter) a salutatore quodam interrogatus, quot annis opus sint urbem aeternam penitus cognoscere, "Id tibipte," inquit, "quod valde doleo, accurate dicere non possum, egometipse non amplius XX annos hic vivo!"



#### TUSSIS SUSPECTA

Tribunus militum quidam tussim molestam queritur. Inspectione patientis feliciter peracta tum professor doctor Ernestus Ludovicus Heim (Ernst Ludwig Heim), 1747-1834, qui Berolini in urbe familiariter "Vetus Heim(us)" dicitur, mirum revera caput, dixit patienti haec: "Sive tussis ex pulmonibus venit, sive a perpotatione. Ex pulmonibus tussis t u a non venit!"

#### AMICUS



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

---

---

---

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONO DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mit-  
tenda est ad adressam infra  
stantem.  
(ich abonniere RVMOR VARIVS  
mit Rechnung an:)

---

---

---

Datum und Unterschrift:

für

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich



AZ

8050 Zürich

9+10/82

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 37